

DESCRIPTIO  
EPIDEMIAE VARICELLARUM  
NUPERRIME OBSERVATAE.

\*\*\*\*\*  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
QUAM  
CONSENSU ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS


IN  
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI

PRO GRADU  
DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME IMPETRANDO  
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR  
*CAROLUS AUGUSTUS DREYER,*  
LIVONUS.

.....  
DORPATI LIVONORUM.  
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.  
MDCCCXXVIII.



Imprimatur,  
ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit  
haec dissertatio, septem exemplaria Collegio, cui cen-  
sura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati-Livonor. d. xxvi. Novbr. mccccxxviii.

Dr. S a h m e n,  
Decanus.

D 16608

CAR. FREDER. DE WISSEL

VIRO

SUMME REVERENDO,

PRAECEPTORI ET EDUCATORI  
PERDILECTO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

INSIGNIUM PLURIMORUMQUE BENEFI-  
CIORUM MEMORIAM RECOLENS

PIA GRATAQUE MENTE OFFERT

AUCTOR.

Lector benigne!

**H**æcce dissertatio descriptionem epidemiae ante breve tempus in provincia nostra ac vicina Esthonia grassatae continet. Occasionē ejus observandae, quae mihi offerebatur, libentissime usus sum, tum quod maxime mea intererat, cui artem medicam exercere modo incipienti multa in sententiis de variolis ac vaccinatione incerta atque ambigua visa experientia tantum propria, cum aliorum observationibus comparata, apertiora ac clariora fore sperabam, tum, quod publicae salutis interesse posse putabam, cum multi homines morbo succumberent. — Ut utrique rationi satisfacerem, labori atque operae non peperi, omnesque difficultates superar conatus sum. Jam cum mihi, cursu academico atque examine perfecto, thema dissertationis inauguralis eligendum esset, nostrae universitatis medicorum summe reverendorum ordinis consensu, hanc epidemiam breviter describere constitui. — Utinam nonnulla utilia dixerim, cum de morbo, in patria nostra grassato, actum sit. — De peculiari rusticorum pro-

vinciae nostrae vitae conditione multa afferre, hoc loco mihi non licuit, etsi haec, opinor, quae accuratius cognoscatur, haud indigna est, si huic hominum ordini, quae ipsi debentur, praestare, si ei summum mortalium bonum, bonam valetudinem — ipsi eo majoris pretii, quo, quibuscunque commoditates vel maxime necessarias in morbis sibi comparare possit, ea fere omnia eum deficiant — in tuto collocare volumus.

Ne exspecta, Lector benigne! conjecturas speciosas, opiniones novas atque alia ejusmodi, jam enim nimis difficile est, veteres omnes probare; si vero praecepta practica confirmata me secutum invenies, in themate dissertationis meae eligendo bona fortuna usus fuero.

## CAPUT PRIMUM.

*De rebus, quae in epidemiam vim habebant.*

§. 1. Morborum descriptiones magis placent, si res in eos vim habentes paullo accuratius novimus. Non raro hac cognitione eo magis perspicuae et fructuosae fiunt, quo magis inde elucet, cur morbus hoc, nec alio modo decurrerit et unde quandoque factum sit, ut morbi, alias minus periculosi, indolem maxime malignam induerent. Haec respiciens, de loco etiam, ubi epidemia a me observata grassabatur, nonnulla dicenda putavi. Proprietates igitur praedii, ubi epidemia illa saeviebat, et rusticorum provinciae nostrae in universum exponere conabar; de singulis rebus accuratius disserere, nec locus, nec tempus permittit.

§. 2. Praedium C., in fertili Livoniae circulo Fellinensi situm, et solo fecundo et messibus prosperis gaudet. Terrae superficies hic vix non-

nullis colliculis scinditur; praedii territorium ex campis amplis extensisque, et silvis magnis, partim in solo paludoso sitis, partim nuda loca palustria, quae pervadi nequeunt, includentibus constat. — Lacus et rivi hic non reperiuntur, praeter nonnullos rivulos jam aestatis initio exarescentes; piscinae puteique aquam necessariam praebent. Pagi, ad praedium pertinentes, non raro V, X vel XXV milliariis Rossicis ab ipso praedio et alijs ab alio distant, viis connexi, in quibus quibusdam anni temporibus iter fieri nequit. Aër valetudini satis prosper est, neque ad morbos singulares gignendos aptus videtur; etenim ex XV annis (tamdiu praedium mihi notum est) nullum unquam hic morbum, ut febrem intermittentem etc., prae alijs grassatum esse, audivi. Praedium magnis quidem silvis cingitur (quae partim arboribus foliatis, magis tamen arboribus coniferis constant. Alnorum virgulta frequentia inveniuntur ad vias, quibus praedium scinditur), attamen jam per se magna superficie plana gaudet, ita ut venti diversi satis libere eam pervadere atque vim salubrem exercere possint.

§. 3. Hiems praeterita (qua epidemia observata ex parte grassabatur) hic quoque gravio-rem quam solet et longo temporis spatio et magno frigore insignem se ostendit, ita ut inde ab die XXIV vel XXVI mensis Decembris paene usque ad medium mensem Martium perpetuo frigore scala Reaumuriana ad — XX° vel XXIII° depressa esset. — Ver subito accessit et haec obrem multo soli humore stipatum, qui continuis imbribus sub finem mensis Aprilis et per totum mensem Majum — paucis diebus tempore festi

Pentecostalis exceptis — decidentibus etiam augebatur. Vere et tempore pluvioso praecipue aquilo et caprus flabant. Cum tempestas sicciot fieret, simul etiam major exortus est calor (scala Reaumuriana ad XVIII° vel XXV° in locis umbrosis ascendebat), et noctibus nebulae crassae frigidaeque existerunt, quae aëris ratio refrigeria facile provocabat et adjuvabat.

§. 4. Domicilia fere omnium rusticorum, cum partis Esthonicae hujus provinciae, tum etiam hujus praedii, sordida et fumosa sunt, ac commune refugium totius familiae, servorum, neque raro — minorum animalium domesticorum. Non solum frigida hieme, sed etiam calida aestate illa valde calefaciunt, quoniam lignorum copia adest. Januae semper apertae sunt, ut fumus perpetuus, qui non per fumarium (etenim paucae tantum recens aedificatae domus fumaris gaudere dicuntur) exit, evolvi possit. Pavimentum luteum, propter pluviam intrantem (haud raro per tectum perforatum, saepissime tamen per januam apertam) aliasque sordes semper lubricissimum est. Fenestrae haec domicilia in universum deficiunt, nisi aperturas parvas, quae dimidium pedis et longae et latae sunt, ac tabula vitrea vel ligno trusatili clauduntur, ita appellare velis. — Locum ad dormiendum eligunt hieme libentissime supra fornacem calefactam, atque in morbis profecto semper aut supra eam aut juxta eam. Ceteris anni temporibus rusticus, ubi libet, dormit, aut in silvis, in prato, in campo sub divo in terra nuda stratus, aut domi in stabulo, in foenili, aut in cellis promptuariis, quae separatim conditae, nullo fundamento substructo, spiraculis

tabulam abundant, quibus aëris meatum admittunt. Hic inprimis aegrotos, tales collocare solent, qui jam ne fornace quidem adjuvante, madescent, aut de calore „interno“ queruntur (cf. Liefändische Abhandlungen von der Arzneiwissenschaft, auctore P. C. Wilde, editio altera. Schloß-Oberpahlen 1782. pag. 59. et Dissert. de morbis inter Esthonas endemicis, auct. Carol. Ernest. Baer. Dorp. 1814. caput de domiciliis).

§. 5. Cibi eorum simplicissimi sunt; hieme jura tenuia cum oleribus, praecipue cum solanis tuberosis et brassica, aestate: lac (inprimis coagulatum) et pisces (quorum clupeis sprattis L. — Strömling —) saepissime vescuntur. Plerumque aquam bibunt; amant etiam potum quendam ex hordeo confectum, fermentatum, subacidum, vix perspicue spirituosum, quare vix nominari potest cerevisia tenuior (cf. Baer l. c. p. 40.), quem iudigenae Kalli vel Tare appellant. Cerevisiam festis tantum occasionibus bibunt. Admodum vulgaris est usus vini adusti, quod non tam ex more et modice sumitur, quam potius a plerisque non saepe quidem, cum vero fit, immodice et usque ad ebrietatem bibitur. Autumno autem post messem accidere solet, ut usque ad mensem Januarium vel Februarium cibos potusque luxuriose prodigant, donec subito, omnibus immodice consumtis, ventriculo otium exstet, de quo graves saepe querelae audiuntur.

§. 6. Rusticorum nostrorum vestitus frigidore anni tempore praeter indusium constat vesti exteriori ac braccis ex panno domestico (quem Wadmal vocant) confectis. Pedes nudi sunt, nisi vestitu ornatiore illi utuntur, vel hieme

ad frigus arcendum; ditiores tamen semper eos vestiunt soleis quibusdam pellicis (quas Pastlid nominant), pauperes soleis ex cortice, alneo vel saligno confectis (Wissud), quae super tibialibus, vel quibus saepius uti solent, super pannis linteis, quibus involvuntur crura, colligantur. Contra hiemis frigus non omnes rustici pellibus ovium se defendunt. Rusticus neque, si calor accessit, aut in conclavi calefacto semper vestem superiorem exuere curat, neque sub aëre frigido tenuissime vestitus, ex cubiculo nimis calefacto modo egressus, foris negotia facere vitat. Aestate et inter opera facienda, rusticus plerumque vestitus amiculo breviori et braccis linteis incedit (quae usque ad genua tantum porriguntur, inde vero usque ad talos crura pannis linteis involvuntur). Mulieres aestate tantum opera facturae, indusium zona cinctum induunt capite in hac regione non tecto, nisi nuptarum, quarum caput mitra tantum contegitur. Infantes et aestate et hieme (domi nimirum) indusio tantum utuntur, nudis pedibus et capite, quod seniores sexus potioris pileo e lana coacta obtegunt.

§. 7. Terra modo breviter descripta habitatur, atque vitae genus adumbratum agitur ab hominum genere, quod summam corporis virium intentionem et maximas molestias perferre et potest et saepe debet. Corpus eorum diversae staturae et structurae est, in universum mediocri magnitudinis cum strictis fibris, quale gravibus corporis laboribus a pueritia inde toleratis formari solet, atque ad futuros accommodatur. In universum animadvertitur, hos homines jam maturius faciem senilem accipere atque corporis in-

commodis, quae senibus obviari fieri soleant, expositos esse, itaque, ut brevi dicam, mature senescere. Causa posita esse videtur in majore consumptione, gravioribus virium intentionibus et laboriosa vitae genere effecta, cui restauratio per cibos et potus non satis respondet, cum cibis plerumque macris et raro carnibus vescantur, potibus excitantibus raro, tum vero saepe nimia copia, utantur, ita ut hii consumptionem etiam accelerent. — Nihilominus tamen rustici non raro ad senectutem satis magnam perveniunt, si aetas LX vel LXXX annorum hoc nomine digna est. Cum matrimonia, corporibus nondum excultis, eo tantum consilio ineant, ut operariis familiam augeant, et cum semper gravissime laborare debeant, raro amplius terni vel quaterni infantes in matrimoniis ejusmodi nasci solent. Animum hominum hominum magis excoli posse, singularia exempla demonstrant; sed cum, quae hoc consilio instituta sint, non semper sedule ac fortiter adhibeantur, ac nondum tam dudum existant, et qui institutis hujusmodi praesint, de vita sustentanda angantur, tardi tantum progressus animi eorum excolendi esse possunt.

Imperitia et fide, quae remediis superstitiosis habetur, nimis saepe morbi apud hoc robustum hominum genus aluntur (Liesl. Abhandlg. p. 51. Baer l./c. p. 42). Incuria salutis physicae et moralis tum suae tum suorum praecipuum animi eorum lineamentum constituit. Opinionibus, quibus majores jam ante saeculum favebant, apud eos repugnare aequè difficile est, atque apud rudes omnium nationum homines. Quae cum ita sint, studia auxilii vel utilitatis iis afferendae ab

ipsis profecto nec mox agnoscentur nec adjuvabuntur. Negligentia, quam ostendunt in praecipis medici observandis atque in laboribus ejus adjuvandis, ni fallor, inde repetenda est, quod artis auxilium ignorant, quam quod ingrati sunt. (Auszug aus dem Landarzte und den liefl. Abhandlg. Oberpahlen 1770. p. 2.)

§. 8. Quae modo in universon de rusticis hujus praedii, ac de praedio ipso diximus, sufficient. Qui provinciam nostram (saltem Esthonicam ejus partem) paullo accuratius novit, nihil hac adumbratione exaggeratum inveniet, imo multa desiderabit, quae omisimus, quoniam ad epidemiam, quam descriptur sumus, minus pertinebant, neque hujus opusculi consilium res singulas accuratius et copiosius exponere permittit. Si quis plura de his rebus scire ac librum aliquem conferre velit, laudo ei scriptum celeberrimi Baerii, nunc Professoris Regimontani, quod jam supra attuli, ubi pag. 86 et 87. etiam, quaecunque imprimis de rusticis Esthonicis eorumque conditionibus scripta sunt, enumerantur. De aliis rebus, quae etiam in epidemiam vim exercebant, ut e. g. de vaccinatione, de cura aegrotorum etc. suo loco agatur.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De epidemia ipsa.*

§. 9. Haec epidemia variolosa, quam sub finem mensis Decembris anni 1827 atque initio Januarii per quatuor fere hebdomades apud XIII homines, vere autem (inde a III die Maji, usque ad XIX Junii an. 1828 apud XXXV aegrotos accuratius observare potui (praeterquam, quod etiam eos inquirebam atque explorabam qui jam sanati erant, aut quorum morbos secundarios tractavi), in territorium hujus praedii mense Septembris vel Octobri invaserat et inprimis nonnullis homines in pagis, prope fines provinciae Esthoniae sitis, unde praecipue progressa esse dicitur, corripuerat. Secundum investigationes illa, ex aliis Esthoniae regionibus progressa, sensim sensimque latius prorepisse et jam aestate anni praeteriti nonnullos homines in Esthonia corripuisse dicitur. Ubi omnino primum se ostenderit, utrum

initio sporadica, an statim epidemica fuerit? quomodo primum apparuerit? quaestiones sane perfectiore, quam equidem dare possum responsione, dignae sunt. Brevi tempore, quo observationes meae finiri debebant, fieri non potuit, ut aliquid certi de his rebus acciperem; initio parum curata erat epidemia, quod non praeter veritatem dictum esse putandum est, cum pro certo haberi possit, nisi epidemia causis ignotis ipsa finem sibi constituisset, etiam plures homines ei succumbere debuisse, quoniam nonnullis tantum locis, ne epidemia latius proreperet, aliquatenus cautum est. Caeterum haec epidemia, quod nonnulli viri, quibus hoc notum esse potuit, (ministri verbi divini) mihi dixerunt, in aliis dioecibus multo pluribus hominibus mortem attulerat, quam in ea, ubi praedium C. situm est.

§. 10. Cum aegroti non in eodem, vel pluribus sibi vicinis domiciliis, sed non raro VI vel pluribus milliariis Rossicis separati jacerent, mihique igitur (praecipue vere) potestas quotidie eos visendi deesset, decursus per dies et stadia accurate describere nequeo; contentus sim, oportet observationibus singulis afferendis et exanthemate tum quoad externa phaenomena ipsi propria, tum quoad mutationes symptomáticas, quas in organismo efficere videbatur, contemplabor; et singulis rebus notandis studebo, quatenus ad diagnosin, quale grassatum sit hujus epidemiae exanthema, conferre potuerint.

§. 11. Ne quid omitterem, quod ad diagnosin conferre posset, semper Heimii diagnosin variolarum et varicellarum (Horns Archiv 1809. Vol. VII. Sect. II. pag. 206 seq.) respexi; descripsit

enim accuratissime variolarum minime alienatarum formam et spurias cunctas inde strictissime separavit.

1) Odorem specificum variolarum epidemiae nostrae, quamquam interdum in uno eodemque cubiculo duo vel tres aegroti jacebant, atque equidem aegrotos quovis morbi stadio videbam, non animadverti. In causa fortasse fuerunt cubícula fumosa, ubi omnes domicilii partes, vestes et ipsi homines fumo perfusi inveniuntur, ita ut fumum duntaxat odoraris. Quae cum ita sint, hoc symptoma, quod ab Hufelandio et Heimio gravissimum habetur, ad diagnosin conferre nihil potuit.

2) Vim contagiosam harum variolarum maximam fuisse, oportet; totae dioeceses his laboraverunt; e praedio ad praedium, e pago ad pagum inde ab mensi Septembri anni 1837 illae in circulo Fellinensi et Pernaviensi progressae sunt; homines sani et aegroti, senes et juvenes, quibus variolae vaccinae insertae, quibusque non erant, pariter correpti sunt. Non correpti sunt iis nonnulli homines, quibus antea variolae vaccinae insitae erant et multi aetate proveci, qui variolas genuinas se jam esse perpeccos dixerunt, quod etiam vestigiis earum, adhuc in cute restantibus, probatum est.

3) Exanthema apud plurimos fortasse aegrotos in omnibus corporis partibus eodem tempore apparuit. Apud multos primum tamen facies et extremitates inferiores corripere videbantur, unde exanthema per reliquum corpus prorepebat, quod praecipue verno tempore, cum epidemiam observarem atque ea affectos tractarem, animadvertum

est. In universum igitur epidemia, quod ad eruptionis ordinem attinet, cum variolis genuinis non consentit.

4) Eruptio nunquam uno eodemque tempore finita erat; tum etiam, cum jam noduli primae eruptionis perfecte suppurabant, quin crustae formari inceperunt, multi novi noduli exoriebantur, qui ex parte in pustulas, efformati eundem decursum faciebant et vestigia, quae pustulae primae eruptionis vel eminentias, verrucis similes, relinquebant. Hae variolae secundae, saepe etiam tertiae eruptionis, semper minores erant, imprimis hieme occurrebant et, quidem praecipue, ut videbatur, ubi febris initio inflammatoria, postea in adynamicam transmutata, dissoluta erat; quasi eruptio, statu adynamico subito accedente interrupta, jam vero viribus rursus auctis refocillata sensim sensimque finiretur. Eminentiae cutis verrucis similes postea resorptae sunt. Hanc eruptionem successivam a variolarum genuinarum modo erumpendi, quarum scilicet eruptio saepissime ad duos tantummodo, rarius ad tres vel quatuor dies porrigitur, diversam esse, observatorum dicta probant. Praeter regulam tantum, ut Richter commemo- rat, seriores eruptiones observantur (cf. Heim; Meyer: de variolis modificatis Dissert. Dorpati 1837. p. 32. No. 3).

5) Utrum sensus molestus, quem exanthema nostrum efficiebat, potius urens an pruriens esset, pro certo expediri non potuit, quoniam accuratior significatio sensuum morbosorum ab aegrotis nostris aequae difficile elicitur, atque ab ipsis intelligitur. Quod se scabebant, propter aegrotorum immunditiam et insectorum apud eos

copiam certum signum pruritus ex exanthemate nascentis non praebuit. Utrum vero color ruber potissimum saturior, an lucidior esset, hic generaliter constitui nequit, quoniam tot coloris gradus inveniebantur, ut, quinam color praecipuus et frequentissimus esset, certo definire non possemus.

6) Exanthematis nostri magnitudo maxime varia fuit; modo pustulae granum cannabis aequabant, modo pisum mediocrius magnitudinis, et quidquid inter has duas magnitudines interjacet. Aliae efflorescentiae perfecte implebantur, aliae (praecipue secundae et tertiae eruptionis) ex parte tantum. Nulla corporis pars majore variolarum excultarum copia prae ceteris insignis fuit, cum in omnibus partibus simul excultae et non excultae multae frequentesque mixtae essent. — Neque utrum humor in pustulis contentus pus verum esset, an materies alius indolis paulum spissa, margaritarumque colore praedita, certo constitui potuit, cum nihil habeamus, quo pus ab humore purulento certo dignoscere possimus. Attamen facile crediderim, pustulis pus infuisse, etenim exanthemata cum vehementi febre et cutis inflammatione apparuerunt, et multa perspicuaque vestigia reliquerunt, quod sine vera suppuratione fieri posse, vix cogitari potest (cf. Joerg's Kinderkrankheiten. p. 898). Spissitas et color humoris in his pustulis in universum fere talis erat, qualis humoris in bonis et maturis variolis vaccinis contenti (nimirum quomodo inter diem octavum et undecimum apparent, repletae lymphae liquida, crystallina, non ita spissata, ut post hoc tempus se ostendere incipit); imperfectiores vero variolae hujus

epidemiae etiam, adfuisse, quae minus jam liquidioris, jam crassioris humoris continerent, constat. Haec pelluciditas humoris, in variolis nostris contenti, et ipsa variolas epidemiae nostrae a variolis genuinis, veris, diversas fuisse, ostendit; eo contra, quod multa vestigia remanebant, variolae epidemiae nostrae cum genuinis consentiunt.

7) Tempore hiemali febris variolae antecedens (indolis inflammatoriae, ut jam diximus) paulo ante variolarum eruptionem, vel inter eam, inter secundum vel quartum diem inde a primo febris paroxysmo in adynamicam transmutata est. Interim noduli paulatim implebantur idque aequae tarde, ac febris adynamica eodem tempore existens dissolvebatur et aegrotus convalescere incipiebat, ita ut jam pars pustularum perfecte suppuraret, dum sub levibus febris insultibus secunda vel tertia eruptio fieret. — Vere inter totum variolarum decursum (qui puncto brevius stadium suppurationis et desquamationis habuit; nam quodvis quatuor stadiorum — febrile, eruptionis, suppurationis, desquamationis — spatium duorum vel quatuor dierum complectebatur, cum hieme stadium febrile duos, caetera vero stadia sex, octo, imo quindecim dies durarent) status perspicue febrilis per omnia morbi stadia apud eos aegrotos observatus est, qui stadio eruptionis demum, vel etiam serius medici auxilium efflagitabant et accipiebant; ii vero, qui jam stadio febrili opem petebant et nanciscebantur, primo tantum stadio, quod animadverti posset, febricula laborabant, quasi febre neutrius generis,

ut a Richtero appellatur (aut febre irritativa sec. Raymannum) itaque non febre secundaria. Haec febris secundaria, quam omnes medici practici magnae experientiae (Lueder's Versuch einer kritischen Geschichte der bei der Vaccination beobachteten Menschenblatter etc. Altona 1824. pag. 108.; Heim l. c. p. 211.; Hufeland in ephemeridibus suis mense Octobri 1824. p. 23.; multique alii) magni momenti habent, etiam hic, saltem hieme, apparuit. Pauca illa singularia exempla, ubi vere abesse videbatur, ejusmodi fuerint, ubi aptiore agendi ratione eruptio minus impetiosa, minus numerosa esset, quam ob rem vera febris suppurationem comitans quoque minus perspicue appareret, et rebus sic se habentibus medicum facile latere posset. In universum igitur febris secundaria s. suppurationis adfuisse, atque epidemia nostra hac re cum variolis genuinis consensisse videtur.

8. De ratione tumorem faciei et eruptionem intercedentē nihil certi compertum est, quamquam ex Heimii sententia ea quoque characteristica est. Aegroti mei non uno in loco collecti erant, qua re continuo eos observandi mihi non fuit potestas, neque a rustico, causis supra dictis, ejusmodi quidquam comperire potui, ne tum quidem, cum matrem vel alium propinquum aegroti, ut, si forte aliud ejusdem domus membrum corripere morbo, id attenderet, admonebam; quod enim quandoque re vera est factum, quae ab iisdem de eodem aegrotō refererentur, quam maxime inter se discrepabant, si aliquoties tantum et diversis temporibus de hoc symptomate interrogabam. Quare effectum est, ut, etiamsi tumor

faciei adesset, comperire non possem, utrum aut eruptionem, an post eam exortus esset.

9) Hae variolarum pustulae omni vi elastica destitutae esse videbantur; molles erant, et cum perfecte maturae premerentur, humor in iis contentus (in iis nimirum pustulis, quae materiem liquidiorē continebant, neque longum suppurationis stadium habebant) in locum pustulae, pressui minus expositum, abiit. In minus excultis, eminentias verrucis similes relinquentibus, nihil certi inveniri potuit. Haec quoque observatio, sec. Heimium, diversitatem a variolarum genuinarum forma praebet, etsi medici practici peritissimi (Hufelandius c. 1. p. 21. Tomsonius in Salzburger Zeitung 1820. III. p. 329. Cohenius in Hornii Archiv 1824. II. p. 447.) dicunt, formam variolarum ipsam tot modificationibus obnoxiam esse, ut interdum varicellae variolas, si singularum pustularum forma respiciatur, omnino aequent, et variolae varicellas.

10) Figura variolarum epidemiae nostrae omnino aequabat dimidiatum pisum, in cute positum, paullulum deplanata erat, neque vero ovalis; angulus, quem cum cute formavit, quantum cerni potuit, potius rectus, quam acutus erat. Variolae secundae et tertiae eruptionis rotundae quidem erant, sed in apicem exēuntes, si imperfecte replebantur, et crustis dejectis eminentias, verrucis similes, relinquebant. Hoc ex Heimii sententia a variolis genuinis abhorret.

11. Ex apertura, in ipsis facta, humor semper tarde effundebatur, neque pustula prorsus evacuabatur: ex minimis variolis (magnitudinis fere grani cannabis) nihil omnino effluebat. Num

postea denuo implerentur, causis supra dictis, pro certo comperire non potui. Utrum variolae apertae et pus emittentes sua sponte fissae sint, an ab aegrotis scabendo vel premendo rescissae, difficile expeditu est, quoniam aegroti non eodem in loco erant, neque continuo accurate observari poterant. Si respicimus, quod supra dictum est (No. 9.), suspicari licet, eas non sua sponte ruptas esse, praesertim cum facile scabendo apertae esse possent (cf. No. 5). Hac etiam re igitur variolas nostras diversas fuisse a genuinis, nemo non intelligit. Imperfecta evacuatio ex apertura facta demonstrare videtur, variolam multis cellulis constituisse.

12) Cutis in fundo pustulae (quae hoc consilio aperiebatur, quo facta cutis panniculi forcice demebantur) cute vicina sana nec elatior nec depressior apparuit. In nodulis, qui non usque ad fundum molliti et quasi liquefacti erant, atque in secunda tantum vel tertia eruptione cernebantur, rem aliter se habuisse jam ex supra dictis (cf. No. 4, et No. 10.) apparet. Cum pustularum perfecte impletarum crusta deciderat (stadio desquamationis), semper conspici potuit locus depressus. Ex Luedersii et Heimii sententia igitur, quod pustulae fundus a cute sana diversus non fuit altitudine, verarum variolarum modo apparenti repugnat. Luedersius ex aequalitate fundi variolae cum cute vicina intelligi putat, varicellam characteristicum variolae signum, penetrationem in cutem, deficere; attamen Joergius (Kinderkrankh. p. 898.) varicellas exstare contendit, quae propterea, quod diutius perstent, pus verum contineant, quare vestigia satis profunda relinquuntur. Hoc, ni

fallor, varicellas quoque nonnunquam in cutem penetrare, demonstrat; quod igitur non solarum variolarum verarum signum characteristicum esse, ubi tamen abest, variolarum verarum naturae repugnare videtur (cf. quoque Heimium in Hornii Archiv 1825. I. qui etiam varicellas in cutem penetrare arbitratur).

13) Quomodo crustae quoad crassitudinem se habuerint, utrum nempe illae verarum, an spuriarum variolarum esse visae sint, pro certo dicere nequeo, quoniam crassitudo notio relativa est, et hic tantummodo comparatio morbi nostri cum variolis veris indubitate non modificatis, quas observandi potestas mihi defuit, ut aliquid certi statueretur, efficere potuisset. Crustarum formam variolarum forma congruam, itaque rotundam esse oportuit. Neque quamdiu in epidemia nostra maculae rubrae post variolas perduraverint, generale quidquam afferri potest. Neque Heimius de hac re certi quidquam praedicare potuit. Hic aiae maculae brevius, aliae longius permanebant tempus, quod magnitudini et celeriori tardiorive decursui respondere videbatur. Attamen maculas vidi, quae jam sex vel octo hebdomades extiterant, priusquam paulatim pallescentes, nullis vestigiis relictis, evanuerunt, quod de iis potissimum variolis dicendum est, quae simul verrucarum more induratae erant. Relictis maculis elatis, quas non sequantur vestigia, a forma variolarum non modificatarum variolas modificatas differre dicit Hufelandius l. c. p. 29. No. 5. Meyerus vero l. c. pag. 33. d. maculis ejusmodi variolas modificatas a varicellis dignosci posse contendit.

14) Omnino non omnes pustulae cicatrices reliquerunt (cf. No. 4. et No. 13.) at tamen plurae excultae pustulae vestigia relinquere videbantur, eae inprimis, quae dñu supparabant, paullatim implebantur, omnino igitur, ubi febris antecedens mox et aperte indolem adynamicam induerat, et per totum exanthematis decursum perduravit. Exanthema nostrum eo, quod multa restabant vestigia, ut jam supra diximus, cum variolis veris consentit.

§. 12. Cicatrices variolarum nostrae epidemiae quoque accurate exploravi, Heimii praecpta, quatenus tempus et res permittebant, sequens. Cum, omnes aegrotos meos ut continuo accurate observarem, fieri non posset, eorum aegrotorum, quantum licebat, cicatrices respectae et descriptae sunt, qui magis commissi erant curae meae; et tantum, cum in his unum alterumve signum, sec. Heimium ad diagnosise gravis momenti, defuit, etiam in aegrotis minus accurate minusque continuo observatis hoc consilio exploratas consului.

§. 13. a) Basis vestigii variolarum epidemiae nostrae semper aliquanto lucidior erat, quam cutis eam cingens, semper glabra, sine punctis et foveolis, quod a verarum variolarum vestigiis abhorrebat.

b) In hac epidemia pustulae satis multae in pilosis corporis partibus se ostenderunt, atque in cicatricibus relictae jam pili singulares, jam nulli reperiebantur. Cum pili aderant, nunquam distincte in fundo, semper vero in margine vestigii apparebant.

c) Margo cicatricis nostrae rotundatus et glaber erat, nisi variolae confluerant; colore gau-

debat eodem, quo cutis, et paullatim pallescens in superficiem cicatricis depressam descendebat, ita ut, si media cicatrix cum cute sana compararetur, gradatio coloris quaedam conspici posset (cf. lit. a). Cicatrices rugosas, haud inveni. — Margine glabro et foveolis deficientibus epidemiae nostrae cicatrix a verarum variolarum cicatrice differt.

d) Figura cicatricum exploratarum pustulae antegressae omnino respondit. Si illa bene conservata erat, cicatrix rotunda fuit, nisi duae vel plures confluerant, vestigia irregularia marginibus laequeratis praedita resisterunt. Vestigia oblonga haud inveni. Hoc secundum Heimium cum variola vera non consentit.

e) Profunditas cicatricum in universum pro temporis, quo pustulae implebantur, spatio diversa fuit (cf. No. 14.) atque apud alios alia. Quin etiam apud unum eundemque aegrotum vestigia harum variolarum diversae profunditatis fuerunt. Partim vero etiam ab aegrotorum habitu vestigiorum profunditas pendere videbatur; etenim apud homines (quod praecipue in adultis observatum est cf. No. 7.), habitus magis sicci et inprimis cutis rigidae, cicatrices in universum profundiores erant; apud infantes vero et tales, qui jam ad summam senectutem pervenerant, omnino apud homines habitus laxi (qualis senum Esthonorum multi reperiuntur) vestigia harum variolarum erant minus profunda et rariora, etsi pustularum numerus fere idem fuerat. Utrum vestigia temporis progressu omnino evanescant, nec ne, tempus futurum docebit; ad hoc usque tempus vestigia variolarum restant, quae jam initio epidemiae (mens. Septemb. an. 1827.) formata sunt.

f) Plurimas variolae cicatrices secutae sunt (cf. No. 4. et No. 14. antecedentis §.). In quamam vero corporis regione, si variolarum numerus fere idem fuerat, major cicatricum copia formata sit, difficile expeditu est, attamen facies et partes aëri magis expositae plura et profundiora vestigia habere videbantur. Huic quoque rei, quod consentiat cum variolis veris, inest.

§. 14. Hactenus igitur in explorando singulas res, quas Heimius, vir acutissimus, ad diagnosis stabilendam proposuit, observavi, semper respiciens gravissima recentiora scripta medicorum bene meritorum, qui discrimini et rationi intercedenti diversas variolarum species statuendis studuerunt. Jam breviter ac dilucide perscribere conabor, quae praeterea in hac epidemia observavi, tñm ad simplicem ejus decursum, tum ad complicationes pertinentia.

§. 15. Febris ante variolarum eruptionem symptomata illa ostendit, quae medici periti eruptionem variolarum genuinarum antecedere dicunt; attamen pro diverso aegrotorum habitu, anni tempore et imprimis curandi methodo, cum modo apparuisset, multae aberrationes occurrerunt. Interdum magis, interdum minus perspicue apparebant calor et horror, invicem se excipientes, faciei color mutatus; cephalalgia et sensus tensionis membrorum, imprimis regionis sacralis et cervicis; nausea et vomitus, vigiliae et magna anxietas: quae omnia symptomata vesperi exacerbata, mane remissiora erant. Dolorem capitis ad furorem usque auctum, qui interdum in variolis genuinis occurrere dicitur, non animadverti. Non semper (jam supra dictum est) hi

febris paroxysm per tres dies sive 72 horas extendebatur, antequam secundo stadio (stadio eruptionis) cedebant, imo plerumque brevius tempus occupabant. Primo tempore, quo homines ruricolae medendi methodum a se ipsis constitutum sequebantur, febris inflammatoria gravibus symptomatibus decurrens XXIV vel XXXVI horis praeterlapsis, jam finita erat, aut morte (fortasse ob inflammationem viscerum nobilium?) aut transitu in stadium adynamicum cum torpore, insigne pulsu parvo, debili, tardo; viribus aegroti valde prostratis; deliriis blandis, mussitantibus; facie pallida, flaccida; urina albescente, subflava etc.; tum stimuli soliti nihil omnino efficiebant, fortiores tarde tantum vim exercebant etc. Hoc stadium 9 vel 14 dies perduravit, nisi antea mors accessit. Stadium ebullitionis exanthematis nostri hoc modo per totidem dies extractum est (cf. No. 11. et No. 7.), ita ut harum variolarum decursus etiam longior fieret, quam variolarum benignarum; etenim morbo ita decursum faciente, a primis motibus febrilibus usque ad exsiccationem et desquamationem 4 vel 6 hebdomades praeteribant. Febris igitur, eruptionem antecedens, si tempus quod perduravit respicimus, neque ubique cum febre variolarum verarum eruptionem antecedente, quae regulariter per 72 horas adest, neque cum ea, quae varicellarum eruptionem antecurrit et ut plerique contendunt scriptores, 24 horas tantum perseverat, consensit (Meyerus l. c. pag. 33. 1.).

§. 16. Febres exanthematicas sine exanthemate non vidi. Fuerint tamen fortasse febres ejusmodi in hac epidemia, sed si perperderis,

quae dicta sunt de ruricolis, eorum facultate observandi, et difficultatibus, quae mihi obstabant, atque quominus ipse observarem accurate, impediebant, non miraberis illas a me non esse animadversas. Febres ejusmodi revera occurrisse crediderim, si methodum respicio, qua rustici omnes hujus epidemiae aegrotos tractabant; in universum enim aliquo incommodo etiamque prodromis harum variolarum laborantes maximum excitare sudorem student, et si hoc effectum est, quomodo fiat, quin febris exanthema antecedens, antequam exanthema appareat, si adjuvent res quaedam, interdum totum morbum dissolvat? (Richter's specielle Therapie. Vol. II. pag. 257.)

§. 17. Neque cum variolis modo descriptis (praeter variolas vaccinae inasitas, de quibus postea agemus) alius exanthematis acuti simul concurrentis videndi mihi locus fuit. Complicatae fuerunt eo saepius et inprimis hieme hae variolae cum inflammationibus organorum interiorum, praecipue capitis et cavi thoracis; quae non raro, si auxilium ad artem accommodatum deerat, auxiliumve exiguum aegrotis suppeditabatur, iique omni modo negligebantur, mortem adduxerunt.

§. 18. Magna hujus praedii ruricoliarum pars correpta erat, et quidem ut jam dixi, tam quibus variolae vaccinae inasitae erant, quam quibus non erant. Morbus in utriusque aequae vehementer et hieme inprimis periculose decurrit. Scabies et tinea, quae variolarum verarum contagium mitigare dicuntur (Richterus l. c. p. 273.), hic morbi decursum omnino non mitigare, quin ne mutare quidem videbantur. Ut paucis dicam, tantummodo auxilium medici mature petiitum et datum, atque mitius

veris coelum epidemiae indolem mitiorem exitusque morbi lethales rariores reddere valuerunt.

§. 19. Multo plura, quam quae jam e decursu descriptione elucet, de prognosi dicere nequeo. Aegrotis, qui hieme decumbebant, et stadiis morbi sertioribus auxilium accipiebant, morbus semper maximum vitae periculum attulit, nec raro illi mortui sunt; morbum evadentes laboraverunt vel adhuc laborant gravibus morbis secundariis, ut maculis corneae, bulbi suppuratione, paralysisibus (inprimis extremitatum inferiorum) glandularum axillarum et parotidis suppuratione, morbis pulmonum etc. Si febris adynamica facta erat, variolae non raro collapsae, vires omnino prostratae sunt et mors secuta est; aut cum auxilium forte adhiberetur, mors quidem non supervenit, variolae denuo exurgebant; sed cutis functio diu impedita et debilitas magna, diuturna multas constitutiones atrocissime turbaverunt. Si variolae citius et vehementius erumpebant, quod ut fieret, tractatio perversa plerumque efficiebat, hae variolae, per se profecto non malignae, maximum adduxerunt periculum (Winkler von den gewöhnlichen Krankheiten der Esthland. Bauern. pag. 143), febris inflammatoria cito in adynamicam transmutata est, et auxilium semper imperfectum vix, quo minus mors accederet, prohibere potuit. Refrigeria suppurationis stadio supervenientia et etiam magis stadio desquamationis sub convulsionibus mors secuta est. Veris tempore, et cum aegroti aptius tractarentur, ex 35, quos visibam, et totidem aliis, quos modo secundum ea, quae nuntii mihi referebant, tractabam, neque tamen ipse videbam, ne unus quidem mortuus est.

§. 20. Utrum, ut nonnulli qui observarunt referunt, in partibus internis e. g. in tractu intestinorum, variolae, an, ut Heimijs vidit, duntaxat noduli subrubri, quasi glandulae inflammatae etc. affuerint, pro certo dicere nequeo, quoniam cadaveris sectionem nullam instituerę potui. Rustici opinantur cadaver sectione acerbissime laedi et beatitudinem animi immortalis deminui; jussa magistratum tantum in hac re aliquid efficere possunt. — In parte vero interna narium, oris, organorum deglutitionis et respirationis simile aliquid, atque in cute externa accidisse, verisimile est, cum hoc, quod ad nares ipse viderem, etiam de aliis organis, simul exorta impeditio deglutitionis et respirationis cum tussi, suspicari licet quamvis cernere non possem, quoniam cito os et facies tumefacta erant.

## CAPUT TERTIUM.

### *Hujus epidemiae aegrotorum cura.*

§. 21. Curae prophylacticae ullius hic adhibitae nihil mihi innotuit. Optandum fuisset, ut statim initio epidemiae magis prospectum fuisset, ne latius haec sese expanderet, quo consilio scilicet aegroti a sanis medici consulti jussu separandi atque rustici de morbi natura et tractatione diaetetica edocendi fuissent. Cura prophylactica, quae adhibita est, eo constabat, quod, si quis aliquo incommodo afficiebatur, ei statim lectum supra fornacem calefactam parabant, eumque maxime tegebant, ut nihil non erumperet. Apparebat tum etiam sub delirijs et vehementi febris inflammatoria exanthema idque tam praecox ut aegrotus, etsi non statim tamen haud multo post in cubiculo, aere perpetuo calidissimo (Scala Reaum. usque ad 25° vel 30° ascendebat). in gravem febrem adynamicam incideret neque raro jam secundo stadio morti succumberet.

§. 22. Ut hanc perversam tractandi rationem prohiberem, rusticos, quoties poteram, hortatus sum, ne cubiculum, si quis incommodo aliquo afficeretur, nimis calefacerent, et ut me statim, aliquem aegrotate, certiores facerent. Sed utrumque tamen imperfecte tantum factum est; nihilominus enim cubicula calidiora erant, aegrotus prope fornacem jacebat, auxilium demum tertio vel quarto die post prima morbi symptomata, exanthemate jam paene apparente, petebatur. Quo accuratius vero praeceptis et votis meis obtemperatum est, eo mitior febris exanthematica fuit, tum praecipue cum aër cubiculi, quoad calorem, ab aëre libero extra domum non nimis distabat.

§. 23. Quae prophylaxis, eadem etiam cura therapeutica initio fuit. Triste visu est quantum auxilii revera morbo apti misero rustico in multis provinciae nostra regionibus accomodetur! — Quod ad medendi methodum attinet, quae adhibenda mihi videbatur, praesertim ad naturam febris exanthematicae respexi, ut Richterus, Franksius, Joergius, aliique praecipiant. Si febris, ut plerumque initio, indolis inflammatoriae erat, curabam, ut aegroti regimen paullo frigidius observarent, iisque acidum tartaricum in aqua dabam, ut esset potus subacidus. Hoc semper stadio primo sufficiebat, si febris vasorum mitis erat. Ubi vero tractatione perversa impetuosa exanthematica eruptio, eademque causa simul febris hypersthenica cum maxima cutis inflammatione, quae fortasse in organa interna propagabatur (Richterus l.c.), provocata erat, illud non sufficiebat. Pro rerum conditione, hirudinibus deficientibus, si aegroti parvi infantes erant, unam vel duas cucurbitulas

ad scarificandum in regione temporum vel pectore ponendas curavi; sin vero erant homines majores natu et robustiores, per venae sectionem tres vel quatuor uncias sanguinis detraxi. Haec tractatio, nitro simul in decocto avenae decorticatae propinato, semper fuit salutaris. Cucurbitulae hic me docuerunt non opus esse hirudinibus, hoc loco comparatu et applicatu difficilibus, atque in febris exanthematicis cum affectione topica inflammatoria conjunctis profecto saepe hirudinibus praeferendae videntur propter vires suas antispasmodicas sane agnoscendas.

§. 24. Cum, quamvis cura omni adhibita, status hypersthenicus in aethenicum transmutatus, variolae collapsae, vires aegroti prostratae sunt, torporque accessit, tum cito danda ratus sum nervina. Ubi haec serius aut omnino non adhibebantur (ut eo tempore, quo aegrotos nondum curabam) morbus decursus diuturnum fecit, vitiumque exhaustionem minatus est; aut sub convulsionibus et sopore invicem se excipientibus, mors accessit, postquam pustulae variolarum collapsae et colorem lividum adeptae sunt. Hic et alias quoque rusticorum Esthonorum febres facillime indolem nervosam induere animadverti, quae plerumque torpida est; minimorum malorum tractatio nimis excitans, ab ipsis instituta per calorem et vinum adustum, aut ab iis qui illis praesunt, per infusum arnicae et valerianae (quo fortius et fuscius, eo melius existimatum, neque ulla mensura vel pondere adhibito comparatum) non levis causa hujus observationis esse videtur, sicuti etiam minor sanguinis

plasticitas, quae restauratione minore, quamquam consumtio magna est, producitur.

§. 25. In febribus nervosis, quae comitantes exanthema apparuerunt, camphora conjuncta cum aceto crudo utilissima fuit, si antea aegrotum aqua tepida lavandum curaveram, vel ei infusum flor. chamomillar. satis calidum dederam. Hoc non neglecto illa apud 30 fere homines ne semel quidem symptomata mala provocavit, semper contra effecit ut variolae collabentes relevarentur, vel variolarum noduli pallescentis aut livescentes ad priorem statum reducerentur atque ut pulsus regularior fortiorque fieret; sensorium porro e somno quasi expergefecit; denique non raro suo tempore transpirationem lenem produxit, quam criticam haberi potuisse arbitrer. Forma, qua eam praescripsi fuit: Rec. Camphorae ʒβ—j tere in mortario cum Alcoholis gutt. X—XX, adde tritis: Aceii crudi ʒxj M. S. Pro diversitate singulorum casuum quotidie iij—vj cochlearia majora repleta sumenda. Si camphora bonos effectus produxerat, aegrotum infusum valerian. et arnicae cum liq. anodyn. mineral. Hoff. reconvallescentiae adduxit.

§. 26. Praeter nonnulla balnea tepida, cucurbitulas et cataplasmata (parata e radice armoraciae recentis), quae posteriora, si asthenia major erat, in plantis pedum et suris ponebantur, nulla externa adhibenda mihi videbantur. Si tamen morbi initio in auxilium sum vocatus, pannulos camphora praegnantis faciei imponendos curavi, ut exanthematis eruptio in facie minus frequens fieret, idque bene successit. Sin vero eruperant noduli in conjunctiva bulbi et palpebrarum, iique

implebantur, camphora, ut jam suspicari licebat nihil profuit. Cum nonnulli suadeant, ut variolis ad oculos apparentibus, in hos tenuior solutio acetii lythargirii instinetur, hoc etiam facere volui, neque tamen parvorum infantum, cum repugnarent lacrymasque funderent, oculos jam per se tumefactos, aperire potui, ut consilium meum assequerer. In nonnullis aetate provectoribus hoc remedium nihil effecit.

§. 27. Morbi secundarii, ut obscuratio et maculae corneae, saepius occurrebant. In duobus adultis obscurationes amovi, visumque restitui tinctura opii simplice per penicillum minimum applicata. Apud nonnullos infantes tincturam illam eodem consilio adhibere volui, sed eorum timor puerilisque pertinacia, quominus hoc mihi contingeret, impediabant. — Alii morbi secundarii, ut abscessus, suppurationes, non raro gangraena ex decubitu etc., quatenus res permittent, lege artis sublatae aut deminutae sunt; neque vero nisi apud tales exorti erant, qui, auxilii parum nacti, morbum erant perpessi. Apud fere 50 aegrotos, quos curavi, nonnullae affectiones leviores, ut parotis secundaria et diarrhoea, unica fuerunt mala secundaria.

§. 28. Refrigeria stadio desquamationis suadendo et severe jubendo in univrsum prospero eventu praecavi (cf. §§. 3, 4, 5, 19).

§. 29. Ex iis, quae de medendi methodo breviter diximus, intelligitur, hanc epidemiam omnino fuisse indolis benignae, et perversa tantum tractatione aliisque rebus, vim pravam in

morbum exercentibus, non raro exitum lethalem esse adductum.

§. 30. Si medendi methodo, quam descripsi, prospere usus effeceram, ut aegroti jam convalescerent, ubique paene necessarium duxi iis, antequam curam omitterem, praebere leve purgans, quo factò demum ciborum appetitus et alacritas prior rediit, molestia in scrobiculo cordis (sü d-dame wallu) desiit, et convalescentia citius progressa est. Semper inter variolarum decursum, quod non mirum est, sordes accumulatae erant, quae optime nonnullis granis hydrargirii muriatici mitis et pulveris rad. Jalapp. removebantur.

§. 31. De diaeta hic non multa habui, quae praescriberem; nam, cum meis impensis, quae praeciperem, porrigere non possem, permittere debebam, ut aegroti et convalescentes iis vescerentur, quae pro rerum familiarium angustiis haberent. — Pulpae pomorum, jura ex granis sago, oryzae etc. parata, aegrotis ditibus, locupletibus commendanda sunt; pauperibus panis et aqua sufficere debet. Justa mundities paene frustra praecipitur. Si illos balneo uti jubes, non tam facile tibi obtemperare possunt, et lintea pura, stramentum purum raro consequeris; paupertas et incuria causae sunt. Cibi e carne parati, quos Winklerus (p. 160.) vitari vult, hic profecto non contra medici praeceptum edentur, nam etiam commendantur, pauper rusticus iis carere deberet, quoniam illos nequit sibi parare.

§. 32. Haec fere sunt, quae de aegrotis hujus epidemiae tractandis dicenda mihi erant. Etsi invenies, me usum esse fere una eademque medendi methodo, neque unumquemque aegrotum

singulariter respectum et tractatum esse, hoc adscribendum est rerum conditioni infaustae et penuriae remediorum vel maxime necessariorum. Sed hic illud quoque minus necessarium fuit. Ruricularum nostrorum coëditio fere omnium eadem est; delectationes eorum non tam complicitae sunt, quam apud cultos hominum ordines, natura eorum in universum arte minus corrupta est (quod idem eos erigit, ne miserime laborent), raro majores diversitates naturae singulorum hominum inveniuntur; neque illi diversis morbis sed potius una eademque epidemia nunc erant correpti; quare hic in universum una eademque morbi forma apud singulos aegrotos reperiebatur. — Natura arte non corrupta adjuvante, cujus nisus attendere conatus sum, paene 50 aegrotos sub meis oculis pristinam valetudinem recuperantes vidi, nullumque morientem, dum antea multi vitam et etiam plures sanitatem in totam vitam amiserant. In hujus epidemiae descriptione nihil majoris momenti praetermisi, et si quis forte inveniet, me multa non commemorasse, quae in epidemiarum descriptionibus inveniuntur vel inventenda putantur, affirmare possum, profecto non incuriam meam, sed rerum conditionem, cui hic obnoxius fuerim, ista culpa esse.

## CAPUT QUARTUM.

### *De vaccinationis vi in hanc epidemiam et episcrisi.*

§. 33. Quamquam primo capite jam de aliis rebus, quae vim habuerunt ad epidemiam locutus sum, tamen de vaccinationis vi nonnulla hoc capite monere constitui. Paginis sequentibus ostendat, num, et quatenus illa epidemiam mutaverit: id vero constat, de vaccinationis statu apud nos nonnulla parum laude digna narrari posse.

§. 34. Ex multis annis, ut tabulae ad hoc notandum institutae, a dioecesis magistratu sub-signatae ostendunt, quotannis infantibus aetate praeterito natis variolae vaccinae insitae erant. Nihilominus tamen, ut jam diximus, tum quibus insitae erant, tum quibus non erant, epidemia corripiebantur (§. 11. No. 2.), et quamvis maxime videre atque observare conatus, omnino nullam invenire potui in morbi decursu diversitatem,

quae probaret, illum vaccinationi institutae aut neglectae adstrictum esse. Observationem v. c. variolis modificatis verrucosis eos tantum corripere, quibus variolae vaccinae jam insitae sint ut Steltzigius observavit (Salzburger Zeitg. anni 1823. Tom. II. p. 326.) probatam non inveni. Idem eruptionis impetus, decursus aequae diuturnus, omnia denique in omnibus eadem, nisi conditiones externae diversae fuerunt. Vaccinationem hic saepe imperfectam fuisse, nihil est quod dubitemus, cum multos per annos raro eam omni, qua oportet, cautione esse institutam constet.

§. 35. Vere, epidemia, grassante, 54 infantibus variolae vaccinae inserendas curavi. Hoc negotium omni, qua par est, cautione et diligentia perfecti, lymphaque recenti, quam a Meyero med. Doct., Fellini degente, accepi. Apud omnes infantes variolae vaccinae insitae optime processerunt et quamdiu in praedio versabar, tres tantum unus familiae infantes variolis epidemicis correpti sunt. Tertio die enim post vaccinationem exorta est febris subinflammatoria et per totam corporis superficiem noduli apparuerunt, qui cum variolis vaccinis se excolentibus, tempore plane eodem, 14 nempe fere diebus decursum suum fecerunt: illae vero nullam omnino aberrationem in decursu suo ostenderunt (consistebant nimirum pustulis semipellucidis, colore margaritarum praeditis cum basi circulari, quarum superficies usque ad finem diei octavi marginem versus paullo elatior erat, quam in centro: margo ipse tumefactus erat, et rotundatus. Die octavo post insitionem cingebantur halone nitido, rubro, circumscripto; die undecimo halonis amplitudo et rubor deminuti in-

cupiebat, pustula in media superficie febat fusca, lymphæ exsiccabatur in escharam fuscam, duram, quæ serius decidit. Vestigium relictum circulare fuit, paullulum depressum, ejus superficies minimis foveolis distincta; itaque, ut paucis dicam; hujus vaccinae decursus omnino non a regulari vaccinae decursu aberravit. Symptomata trium vaccinae spuriae specierum, quas Batemanus secundum Willanum enumerat, hic omnino non adfuerunt; nominatim etiam non symptomata tertiae speciei \*). Variolæ in reliquo corpore in adolem variolarum supra descriptarum prae se ferebant. Post vaccinationem ultimorum decem infantium, praedium reliqui; sed postea comperi ex his decem etiam duos inter decursum variolarum insitarum variolis epidemicis correptos esse, neque tamen multum in iis laborasse. Exanthema post institutionem erumpens non fuit universalis variolarum vaccinarum eruptio.

Cum lymphæ variolarum, quæ cum variolis vaccinis insitis in uno eodemque infante simul adfuerunt, nullum feci periculum.

§. 36. Ut, quantum fieri potuit, expedirem, quæ hujus epidemiae contagii natura sit; apud duos infantes, quibus jam nonnullis annis ante, variolæ vaccinae fuerunt insitæ, et qui hieme variolis epidemicis descriptis correpti erant, earumque vestigia manifestæ habebant, iterum vaccinationem institui, atque eo effectum est, ut ex duodecim puncturis institutione factis, novem

\*) Pustula sine halone, quæ exoriri dicitur, ubi, quibus variolæ vaccinae insitæ sint, variolis veris per contagium corripiantur.

in variolas vaccinas optimas efformarentur. Hinc opinor, sequitur priorem vaccinationem imperfectam, nec variolas epidemicas fuisse genuinas. Hujus epidemiae variolarum lymphæ ad institutionem non solum usus, quoniam si forte malum aliquod exortum esset (etsi fortasse rebus omnino aliis adductum), mihi culpam dedissent, quod illud variolis genuinis (quas esse has variolas epidemicas non solum ruricolæ sed etiam homines magis eruditi arbitrabantur) inserendis processsem, ita ut mihi, medico nondum rite initiato molestiae inde exoriri potuissent.

§. 37. Quodsi quaeritur, num epidemia a me observata ad variolas veras, an ad variolas modificatas, an ad varicellas pertinuerit, hæc mihi se offert sententia, exorta e diligentibus eorum, quæ observavi, consideratione, et comparatione cum iis, quæ alii dixerunt; quam tamen sententiam extra omnem dubitationis et erroris aleam elatam a me putari minime censeri velim, haud immemor, observationes meas propter difficultates quæ adfuerunt, necessario fuisse imperfectas, mancamque experientiam meam.

Epidemia modo descripta aberrationes majores a variolis genuinis, veris, (ächte Menschenblatter) ostendit, ut §. 11. No. 3, 4, 5, 9, 10, 11; §. 13. lit. a, c, d; §. 35. etcet. demonstrant; formationi variolarum verarum adpropinquavit tantum, si §. 11. No. 6, 7, 14, et §. 13. lit. f. respicis. Aberratio ab iis etiam constitit in minore lethali ac mitiore decursu febris, nisi malignitas et lethalitas pravo regimine adducebatur. Hæc principalis morbi benignitas in omnibus exemplis apparuit, in quibus verno tempore satis mature de-

cursum lege artis regebatur. Major morbi periculum tempore hiemali occurrentis atque vere in iis aegrotis animadversum, qui praecipue quoad diætam negligebantur (§. 15. §. 21.), morbo non proprium, sed tantummodo sebus infaustis externis adductum fuisse videtur. Gravi hiemis frigori, — quod jam per se quemvis morbum febrilem atque inflammatorium multo augere potuit, perniciosius vero adhuc fieri debuit propter caloris mutationes, quibus aegroti pro modo, quo lectus ipsis parabatur ipsique fovebantur, expositi erant (§. 4.) — eo majore jure decursus periculum adscribendum fuisse putamus, cum etiam vere effectus maxime infaustos conspexerimus, ubi non curatum esset, ut illa vis nocens removeretur. — Variolae genuinae quoque multas aberrationes, quod ad formam externam et decursum attinet, admittunt, mitissimaeque esse possunt, ut Hufelandius ipse, quem nostrae aetatis medicorum pauci variolarum cognitione ex propriis observationibus hausta aequant, affirmat (cf. Ejus Journal. Octob. 1824.); aberrationes ejusmodi vero in epidemiis exemplis, ubi variolae morem solum observant, non nisi intermixtae et quasi interspersae conspiciuntur. Ubi autem in tota epidemia, qua multi nec variolas vaccinas insitas, nec variolas genuinas jam perpassi corripiebantur (§. 11. No. 2.), variolae in nullo fere homine incolumem suam formam ostendebant, et nusquam tam malignae, quam solent (nisi ubi res externae perspicue vim noxiam exercebant), apparebant; hoc mihi argumentum esse videtur, earum naturam non fuisse mere variolarum genuinarum.

§. 38. Statuendum est igitur, epidemiam

aut modificatam variolarum verarum formam, aut varicellas tantum fuisse. Criterium genuinarum variolarum, etsi modificatae appareant, quaeri nequit in forma et decursu exanthematis, febrisque hoc comitantis, cum certi gradus finesque, quatenus modificari possint, constitui nequeant. Modificatioes nimirum variae tam formae quam decursus variolarum verarum praecipue efficiuntur vaccinatione antegressa; etenim tum demum, cum haec institui coepta esset, variolarum modificatarum epidemiae in ejusmodi forma se ostenderunt, quae omnem de variolosa earum natura dubitationem tolleret, efficeretque, ut variolae modificatae (varioloïdes) quasi species variolarum genuinarum, post antegressam vaccinationem forma mutata apparentium, statuerentur. Certissimum criterium, naturam variolarum ejusmodi modificatarum vere esse variolosam, in eo positum esse acceptum est, quod illae apud eos, qui nec variolas vaccinas insitas, nec variolas genuinas habuerunt, variolas genuinas forma genuina haud modificata producant. — Ex quo innouerunt illae variolae modificatae post antegressam vaccinationem, sententiae etiam favebant nonnulli auctores (e. g. Crossius, Brycius, Abercrombius), quasdam varicellarum species (variolas acuminatas s. verrucosae), quae jam antea innouerant, etiam constituere exanthema variolosum, variolarum verarum contagio procreatum, sed modificatum et mitigatum non quidem vaccinatione sed variolis genuinis antegressis.

§. 39. Variolarum modificatarum criterium illud, quod variolas genuinas producant, apud

eos, qui nec variolas vaccinas insitas, nec variolas genuinas habuerint, epidemiae nostrae deperat (§. 11. No. 2.; §. 34.), cum apud neminem variolae omnino genuinae et tam malignae, quam alias saepe esse solent, apparent. Objici mihi possit, hujus epidemiae variolas in iis individuis, quae nec variolas vaccinas insitas, nec variolas genuinas habuissent, fortasse tamen genuinas fuisse, cum hae etiam secundum Hufelandium, Tomisonium, Cohenium aliosque in iis, qui nec variolas vaccinas, nec variolas genuinas habuerint, diversam formam induere possint. Cum igitur ipsa genuinarum variolarum forma mutationibus sit obnoxia alio certiore adhuc criterio opus est. — Luedersius criterium tale esse putat sedem variolarum genuinarum et modificatarum in cute, varicellarum vero in tela cellulosa inter cutem et epidermidem posita; neque tamen hoc ab omnibus acceptum, neque semper observatum est (Heimius in Hornii Archiv 1824; cf. §. 11. No. 6). Certum contra criterium eo constituitur, quod variolarum modificatarum contagium omnino idem est cum variolarum genuinarum contagio. Hoc non tantum inde apparet, quod illae in iis, qui nec variolas vaccinas insitas, nec variolas genuinas habuerunt variolas genuinas procreant, sed multo potius inde, quod variolarum genuinarum vel vaccinarum recipiendarum facultatem in posterum omnino delent, — quod a Willano demonstratum, et a praeclarissimis scrutatoribus, scriptoribusque de ratione diversas variolarum species intercedente acceptum est. — Haec vero proprietas epidemiam nostram defecit, cum in in-

fantibus brevi ante ea correptis optimae variolarum vaccinarum insitarum pustulae exorirentur (§. 36). Quod eorum, quibus nuper variolae vaccinae insitae erant, nemo epidemia corripiebatur, nisi pauci jam ante vaccinationem infecti (quod varicellarum eruptio mox post insitionem ac decursus eodem tempore cum variolis vaccinis observatus docuit), pro argumento haberi possit, vaccinationem contra has varicellas in tuto posuisse. Sed respiciendum est, tempus ex eo praeterlapsum brevius esse, quam ut hoc affirmari possit. Nihil miri etiam, etsi vaccinationem contra has varicellas tueri non vates; in eo iuvenies, quod alio alius generis exanthemate, eodem tempore exorto, in hoc et proxime sequens tempus exanthematis nostri recipiendi facultas minuebatur.

§. 40. Quodsi varicellarum discrimen a variolis genuinis et modificatis non in forma et decursu morbi, quippe mutabilibus, sed potius in contagio morbi utriusque diverso ponendum esse ducimus, — quae contagii differentia non solum inde cognoscitur, quod varicellae variolas genuinas in illis, quibus nec hae nec vaccinae jam prius affuerunt, non procreant, sed multo magis etiam inde, quod nec variolarum genuinarum nec vaccinarum recipiendarum facultatem delent; — epidemia nostra pro varicellarum epidemia est habenda. Quod contendere eo majore jure nobis licere putamus, quo jam ante vaccinationem ambigua varicellarum exempla sunt observata, quae medicis expertissimis, ut Heimio (Horn Archiv 1809. Vol. 2.) et Stieglitzio (ibidem) dubitationem de morbi diagnosi injicere poterant, — quod certo haud facile evenire po-

tuisset, si revera ubique varicellarum eruptionem antecedens febris nonnisi 24 horarum levissimique esset decursus, ut plerique libri nosologici docent. — Ad hanc sententiam nihil refert, utrum fortasse varicellae, si primam originem respicimus, eodem ex contagio, quo variolae genuinae exortae sint et inter epidemiae moram demum, viribus atmosphaerae, vel earum, quas offenderint, peculiaribus conditionibus (quales imprimis variolis vaccinis vel genuinis antegressis efficiuntur) paulatim degenerarint. — ita ut etiam earum contagium jam a contagio variolarum genuinarum et vaccinarum amplius non defendat; — an potius uterque morbus contagio, jam ex origine diverso, nixus sit; nobis scire hic sufficit, in praesentia apparentis utriusque morbi contagium jam non esse idem. — Hac sententia quasi vera posita, sequatur, varicellas, ut morbum quoad contagium a variolis genuinis et modificatis diversum, plures complecti varietates, quam quot huc pertinere dixerint medici Anglici \*). Porro inde sequatur, varicellis non in universum decursum tam mitem et febrem eruptioni antecedentem tam

\*) Nominatim variolas vesiculosas Crossii, variolarum speciem a Bryeto in Tomsonii opere inscripto; An account of variolous Epidem. allatam, quam Herberdenii variolas spurias aequare contendit; primam variolarum spuriarum speciem ab Abercrombio in eodem opere allatam. Neque tribus varicellarum speciebus a Willano enumeratis diversas varicellarum formas omnes exhaustiri, jam Heimius (Horns Archiv 1824) commemoravit; harum trium specierum varicellae globatae nostris forent simillimae, nisi varicellarum globatarum decursus tam brevis descriptus esset.

brevem adscribendum esse, quam in operibus Richteri, J. Frankii, Raymanni, Henkii aliorumque, fieri solet; quin imo eas, rebus infaustis modificatas, multum periculi, vel ipsam mortem adducere posse, quare maxime dignae existimandae sint, quae a medicis accuratius observentur. Deinde sequatur, varicellas inveniri veras, quae symptomatibus essentialibus consentiant cum variolis modificatis (variolis genuinis, antegressa vaccinatione modificatis) et cum variolis corneis (Hornblattern), quas Crossius aliique speciem constitinere putant, propter antegressum morbum variolosum in varicellas quidem efformatas, sed variolarum verarum contagio progenitam, atque etiam variolas veras procreantem in iis, qui nec variolas genuinas nec variolas vaccinae insitas habuerint. Si porro graviores ejusmodi variolis modificatis similes varicellarum species existere repetitis observationibus probatum fuerit, eo magis medicis considerandum sit, num ejusmodi varicellae, forma et contagio omnino separatae a forma et contagio variolarum genuinarum, in epidemiae decursu et transitu per magnam hominum numerum, fortasse paulatim ex variolis genuinis efformari atque fortasse rursus in eas revolvi possint, nec ne. Illud fieri posse Tomsonii observationibus verisimile fit.

## THESES DEFENDENDÆ.

- 1) Exanthemata acuta pro crisi sunt habenda.
- 2) Exanthemata ab initio semper statum cutis inflammatorium habent comitem.
- 3) Nunquam in intestinis faeces adsunt.
- 4) Discrimen inter inflammationem sthenicam et asthenicam non statuo, quia semper una eademque est.
- 5) In vulneribus explorandis semper digitus instrumentis praefendus est.
- 6) Vox sic dicta nasalis non soni per nasum transitu progignitur, sed hoc impedito.
- 7) Sedes doloris non semper sedes morbi.
- 8) Remedia specifica non existant.

- 9) Omnis febris est motus criticus naturae.
- 10) Induratio telae cellulosaë est exitus inflammationis.
- 11) Dysenteria est morbus acutus.
- 12) Hydrops ventriculorum cerebri morbus nunquam est primarius.